riculum ſuum amare videtur. Unde non
eſt mirum ſi in illo pereat: Eccleſiaſtici.iij
Qui amat periculū in illo peribit. Timor
huius periculi eſt quaſi clauus cōfigens
carnalē affectum ne eo ſtimulante redeat
nouicius ad ſeculum. In pſal. Confige ti-
more tuo carnes meas. Et eſt quaſi pōduſ
comprimendo retinens: ſicut aſſeres lapi
dum ponderoſitate retinētur in tectis do
morum: Eccleſiaſtici. xv. Timor domini
ſe ſuper omnia ſupposuit. Eiuſdē. xxxvij.
Si non in timore domini inſtāter te tenue
ris cito ſubuertetur domꝰ tua. ¶ Tertio
ſpes diuini adiutorij etiam multum vale-
re poteſt ad ſtabiliēdū nouitiū. Eſt enī q̄ſi
anchora conſeruans ne vehementia tem-
peſtatis a deo euellatur et ad ſeculū reuer
tatur. Job. vj. dicitur de ſpe quam ſicut
anchoram habemus anime tutā ac firmā
Auguſtinus noli abrumpi ab anchora an
teq̄ꝫ intres portum. Fluctuat nauis in an-
choris ſed non longe a terra proijcit. Co-
natur diabolus eijcere nouicium in diffi-
dentiam vel deſperationem continuitate
vel vehementia tentationis vel diutur-
nitate clauſtralis laboris. ſꝫ diuturnitati
laboris opponenda eſt eternitas merce-
dis. Auguſtinꝰ: Labor te terret vide mer
cedem. Diuturnitas quodammodo facit
vt leuius ſuſtineatur ratione conſuetudi
nis que diuturnitateꝫ ſequitur. Sapiens
Optima forma viuēdi eligenda eſt quam
iocundā reddet conſuetudo. Vehemētie
et continuitati tentationis reſiſtit ſpes di
uini adiutorij. In pſal. Dominus prote-
ctor vite mee a quo trepidabo? Dn̄s eſt
in circuitu populi ſui quaſi murus defen-
dens eum. Vehementia etiam tentatiōis
eſt occaſio vt facilius ſuſtineatur quia ad
hoc facit vt gratia augeat: prime corin x.
Fidelis eſt deus qui nō permittet vos tē-
tari ſupra id quod poteſtis: ſed facit cum
tentatione etiam prouentum id eſt gratie
augmentuꝫ vt poſſitis ſuſtinere. Fiducia
etiam habenda eſt in ſuffragijs ſanctoruꝫ
et adiutorio fratrum. Et nota ꝙ deus iu-
uat ſeruos ſuos ſm̄ ꝙ ipſi ſpem habent in
eo. Bernardus: Quatinus in bonis dn̄i
fiducie pedem porrexeris eatenus poſſi-
debis. Tertio bonus eſt deus ſperantibꝰ
in ſe. In pſal. Sperantē in dn̄o miſericor-

Specialis nouicij tētatio ⁊ remedia.

Scd̄m ſpem noſtrā ſic adiuuamur a domino.

dia circumdabit. Jeremie. xvij. Benedi
ctus vir qui confidit in dn̄o. Et ſubditur
Erit quaſi lignū quod tranſplantatur ſu-
per aquas et nō timebit cuꝫ venerit eſtus
ſcilicet vehementis tentationis. Eccleſia
ſtici. xj. Cōfide in dn̄o deo ⁊ mane in loco
tuo: facile enī eſt ī ocl'is dei cito honeſtare
id eſt ditare pauperē. ¶ Quarto amor p
prie perfectionis poteſt multum valere
ad ſtabilimentum nouicij: ſicut radicatio
arboris facit ad eius ſtabilitatē. Eccleſia.
xxiiij. Radicaui in populo honorificato.
Populus honorificatus eſt cetus filiorū
dei in quo aliquis radicatur cuꝫ expulſo
amore ſeculi introducitur amor ⁊ ſui ⁊ p-
ximi. Amor ſeculi expellitur cum diuitie
delicie mūdi honores cōtēnuntur. Ad cō
temptum diuitiarū pertinet votū pauper
tatis. Ad contemptū delitiarum pertinet
votū continentie. Ad cōtemptū honoruꝫ
humilitas obedientie. Nō introducitur
amor verus niſi expellatur amor vanus.
Auguſtinus ſuper canonica Joānis: Si
mūdi amor habitet non eſt quo dei amor
intret: Sapīe iiij. Adulterine plantatōes
nō dabūt radices altas: nec ſtabile firma-
mentū collocabūt. Adulterine plātatōes
ſunt q̄bus dr̄ Ja. iiij. Adulteri neſcitis q̄
amicitia huius mundi inimica eſt deo.
¶ Quinto amor dei pōt multū valere ad
ſtabilitatē nouicij. Amore q̄ppe ſaluato-
ris dꝫ eſſe affixus cruci religionis qui ad
religionē venit. Clauo noſtri amoris poti
us fuit xp̄s affixus cruci ſue q̄ꝫ clauis fer
reis: ſicut hoſtiū ſepulchri xp̄ꝫ nō potuit ī
eo tenere: ſic nec claui ferrei eū ī cruce te
nuiſſent inuitum: ſed clauo amoris noſtri
ibi tenebat ſic amor xp̄i nouiciū ī religio
ne dꝫ retinere. ¶ Sexto amor ēt ſancte ſo
cietatis dꝫ eum retinere. In pſal. Ecce q̄ꝫ
bonū ⁊ q̄ꝫ iocūdū habitare fratres ī vnū.
prouerbi. xviij. Frater qui adiuuat a fra-
tre quaſi ciuitas firma. Debilis q̄ pugnat
cū forti velle ſuperari videt ſi potius eli-
gat eſſe inter eos qui noceant q̄ꝫ īter eos
q̄ adiutoriū prebeāt. ¶ Septio amor etiā
proprie ſalutis dꝫ euꝫ retinere. Amor iſte
dꝫ eſſe magnus ī homine cuꝫ in brutis tā-
tus eſſe videatur. Ex amore ſalutis eē vi-
det ꝙ ouis lupū fugit. Et canis ſi ī aquaꝫ
ceciderit natādo ad littus tēdit. Itē auis

Populus honorificatꝰ q̄s ſit.

Qui clauſtenuerint chriſtum ī cruce.

Ad amorē p̄prie ſalutis.

SLUB Wir führen Wissen. UNIVERSITÄTS BIBLIOTHEK LEIPZIG ubl KLOSTERSTIFT ST. MARIENTHAL